cetera membra corporis diffunduntur. Vos igitur, quos ad culmen regni Romani divina gracia hiis temporibus advocavit, et ad imperiale fastigium postmodum assumendos, Romam, matrem vestram, vestri honoris principium, vestreque promotionis incitamentum, cui excellentie vestre industria utilis creditur et fructuosi[1] non modicum reputatur, debetis non minus evidenti effectu quam interiori affectu diligere ipsamque[2] in suis filiis, prole et concivibus honorare, ut dilectionis nomen clarescat per opus, et amor per signa evidentia ostendatur. Cumque nos, quos pro statu Urbis pacifico et tranquillo populi anscisscit[3] voluntas et mandatum[4] statuit Romanorum, providentes, quod ad Urbis regimen et Romanorum gubernacula dirigenda pre cunctis mundi principibus vos sufficientes et ydoneos reputamus, ut per vestram deliberationem Urbis provideatur quieti, nichilominus vestri nominis et honoris exaltatio repensetur, in perpetuum dominum Urbis, divina gracia concorditer et unanimiter invocata, vos duximus eligendos. Set cum ea que in nostre mentis armario et nostri pectoris utero sunt concepta ad exaltationem vestri nominis nequeamus, immo valde difficile sit propter locorum distantiam per litteras explicare, credere vos volumus et pro firmo ac indubitanter habere quecumque T. et T., nobiles cives Urbis, latores presentium, devoti vestri[5] et nostri nuncii et socii ad domina tionis vestre presentiam de nostro destinati excellencie vestre et culminis vestri auditui per vive vocis oraculum ex parte nostra duxerint referenda, acsi proprie ex ore nostro et propriis labiis presentialiter processissent.

1) 'fructuosa' zu lesen oder 'afferre' zu ergänzen. 2) 'ipsam quia' c. 3) So verderbt c.; vielleicht 'antesciscit', im Sinne von 'plebiscito praeponit'? 4) 'madatum' c. 5) 'nostri' c.